

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 192v–193

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 111 [Gn. 100]

[111] De pena sculteti nolentis alicui iusticiam ministrare nec querelas audire volentis.

Nunc attendatis super eo, si scultetus aliquem impedierit in sua querela et sibi iusticiam non fecerit, et hoc sibi iniuste recusat. Si pro eo coram castellano aut advocato impulsatus fuerit cum testibus, extunc ipsum cum testibus evadere oportet.

Cum qualicunque testimonio super iudicem querulatum fuerit, tali ipsum iudicem testimonio evadere oportebit, sive sint scabini aut alii astantes iudicio. Si autem hoc coram iudicio bannito actum fuerit, tunc melius vinci potest testibus iure, quam ipse cum testibus evadere possit. Si autem vir cedere voluerit testimonio et ipsum inculpare pro suo scitu, de hoc unica manu evadere possit.

Quando querimonia coram advocato super aliquem facta fuerit, pro hac causa respondere tenetur sine mora, ita quod ibi sit iudicium bannitum, quia ipsum oportet ibi esse presentem, nisi legale impedimentum ipsum occupaverit. Quod impedimentum statim probare oportet. Si hoc non ostenderit et non nominaverit, et hoc per iusticiam facere denegaverit se excusare de sua iniuria, quam exercuit, et se ad iusticiam exhibere [debet], extunc condemnatur advocato in decem talentis idem scultetus et illi suum debitum, de quo negavit, facere iusticiam, et medio quo ille non solvit solus, aut se iure excusaverit iudicio proximo, tunc amplius iudex esse non potest, nisi se ex hac culpa exemerit, secundum hoc ut est praemissum.

Si autem pro facto criminali, pro quo iudicium facere recusavit, sicut pro homicidio aut vulneribus, aut furto, aut spolio, aut ecclesie violentia, aut incendio, aut pro his similibus, que crimina capitalia tangunt, idem [k. 193] iudicium super eundem ire debet, quod super illum ire debuerat, pro eo nec recompensam, nec aliquid fieri potest, si in his vincitur, ut iuris est.

Si autem unus vir pro debito in captivitatem publicam presentatus fuerit ad tenendum iure, si ipsum ammiserit aut si evaserit absque sua culpa aut negligencia pro crimine, quod transit ad collum, pro eo solvet integram recompensam et hoc ipsum iuramento probare oportet tacto sacramento, si sibi parcere noluerit, quod ipsum absque omni sua culpa ammiserit.

Integra autem recompensa facit decem et octo talenta, media recompensa facit novem talenta.

[hasła: sołtys, skarga, sprawiedliwość, przestępstwo sądowe, uwolnienie od skargi, ławnik sędzia, odpowiedzialność, przeszkoda, świadek, wójt, skazanie, dług, wina, przestępstwo, kradzież, zranienie, zabójstwo, podpalenie, kara śmierci, zapłata, wynagrodzenie, przysięga, kościół]